



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

VII. Aliorum argumentorum aduersus veriolem sententiam solutio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

tamen cum ea non debet connecti præuè, & per se ipsum.

47.

Aliter etiam explicari potest id ipsum: quia esto principium necessarium existentia cuiusvis debeat cum ea pro priori connecti (quod certè de principio totali, ac principali negari non potest, quidquid sit de partiali, cuiusmodi est habitus, quem voluntas determinat) ceterum principium etiam adequatum, ac totale possibilitatis creaturarum esse poterit Deus Opt. Max. sine connexionè præuà. Ratio discriminis est: quia quoties principium totale est necessarium, effectus eius necessarius, aut quasi effectus debet pro aliquo signo intelligi simpliciter determinatus ad esse, & ne diuinitus potens non esse: cum igitur hæc essentialis determinatio ad essendum, & consimilis impotentia ad non essendum existentia finitæ, cum necessario producit, haud possit obuenire ex meritis, & prædicatis essentialibus suis: quippe ratione quorum causa est omnino contingens, & potens non esse, sanè opus est, ut eiusmodi determinatio, & impotentia illi conueniat, ac tribuatur à connexionè præuà, ac diuinitus ineluctabili propria principij necessarii, à quo producit: talis ergo connexio præuà ad principium totale omnis existentia requiritur: at possibilitas creaturarum ex se, & ex meritis, ac prædicatis essentialibus suis est summè determinata, ut sit à Deo, & etiam diuinitus impotens non esse ab illo. Quamobrem necesse non est, ut eam fortiatur determinationem, & impotentiam summam à Deo, à quo necessario oritur; neque consequenter, ut aliquam ex eius parte connexionem præuam supponat.

48.

Denique idem explanatur, nempe quo pacto possibilitas creaturarum oriatur à Deo, velut à principio necessario. Dupliciter enim intelligi potest, Deum esse antecedenter connexum cum possibilitate creaturarum, cuius est principium necessarium. Primò, ut illa connexio antecedens sit positua, Deoque intrinseca, & essentialis; eaque cuius ratione, ac vi Deus petat essentialiter dari possibilitatem illam: secundo ita ut eiusmodi connexio antecedens sit tantum negatiua, ac Deo omnino extrinseca, & duntaxat in eo consistens, quod pro priori signo rationis ante possibilitatem nihil intelligatur, quod possit eam separare à Deo, aut facere ne sit: nihil inquam, creatum, aut increatum, ac nulla vi, & ne diuinitus etiam. Ut ergo Deus sit principium necessarium possibilitatis creaturarum, non requiritur, ut priori modo connectatur præuè cum illa, id est posituè & essentialiter, atque intrinsece; cum tamen de hac potissimum connexionè sit quæstio, & in ea sola consistat ordo transcendentis. Satis ergo superque est, quod Deus connexionem antecedentem cum possibilitate creaturarum extrinsecam, & negatiuam fortiatur, ad id, ut illius sit principium necessarium, & non liberum: hanc autem eius cum illa connexionem dari nobis nil officit, ut manifestum est. Ac profecto, ut Deus, habere dicitur impotentiam antecedentem non existendi, non quia aliquid sit ante Deum, quod eum necessitet, ut sit, & existat; sed quia nihil ante eum est, aut potest esse, quod facere possit, ne sit: ita similiter haud video, cur more huius impotentia antecedentis negatiua non possit dici Deum habere connexionem antecedentem negatiuam cum possibilitate creatura-

rum, eo præcisè quod nec Deus ipse, nec aliud quidpiam ad eam præsupponatur cum potentia, & facultate eam à Deo separandi, aut faciendi, ne Deo existente ea tamen non sit. Atque hæc de hoc argumento satis sunt.

CAPVT VII.

Aliorum argumentorum aduersus veriorum sententiam solutio.

ARguunt tertio aduersarij: omnipotentia est attributum Deo intrinsecum, & essentialè physice, & realiter, tametsi metaphysicè, & ratione nostra eo posterius sit: at omnipotentia Dei cum creaturis essentialiter connectitur, & ad eas transcendentaliter refertur: ergo, &c. Minor probatur: quia omnis vera, & realis potentia est in ordine ad aliquem effectum: quare, sicut repugnat cognitio sine veritate, quam cognoscat, & amor sine bonitate, in quam feratur; ita repugnat vera, & realis potentia sine effectum possibili, quem producere queat: igitur à fortiori omnipotentia, quæ cæteris potentiis infinites perfectior est, aliquem effectum possibilem, quem possit producere, essentialiter postulat.

Respondent aliqui, omnipotentiam esse virtutem producendi quidquid contradictionem non implicat; futurum autem, ut Deus posset producere quidquid contradictionem non implicat, esto omnes creaturæ implicarent, & impossibiles essent: ac proinde eum denominatum iri omnipotentem eo in euentu. Itaque Deus, quatenus omnipotens, duntaxat est potens producere creaturas posibles, si posibles sint, siue sub conditione, quod non repugnet: at potestas conditionata producendi creaturas posibles, eas absolute posibles non postulat, illque deficientibus permaneret: igitur omnipotentia Dei creaturas posibles absolute non postulat, casuque quo deficerent, remaneret. Hæc tamen solutio confutatur ad homines: quia, iuxta non paucos aduersariorum, quoties vnum cognosci potest in alio, alterum refertur transcendentaliter ad alterum: at creaturæ posibles quoad earum essentiam, & quidditatem cognosci possunt in omnipotentia Dei, si hæc eas respicit essentialiter conditionatè: hoc ergo respectu conditionato in Deo admisso, non poterit non admitti in eo transcendentalis ordo ad creaturas: sed ij, quibuscum disputamus, respectum illum conditionatum in Deo admittunt: quomodo ergo in eo negare possunt ordinem transcendentem ad res creatas? Confirmatur, & declaratur: iuxta eosdem, & iuxta veritatem, actus fidei verbi gratia, quo quis crederet, Petrum conuertendum, si vocetur, respicit transcendentaliter consensum liberum Petri, quem tamen conditionate respicit: cui enim ambiguum esse potest, quin omnis cognitio creata saltem de facto existens suum transcendentem respiciat obiectum? ergo etsi omnipotentia conditionatè creaturas posibles respiciat, eas adhuc transcendentaliter respiciet ubi eiusmodi respectus Deo sit essentialis.

Secundò confutatur eadem solutio: quia Deus non est verè, & realiter potens mentiri: & tamen posset mentiri, si mendacium ei non repugnaret,

49.

50.

51.

gnaret, in eius cadere posset veritatem: igitur deficiente possibilitate creaturarum Deus non denominaretur verè, & realiter potens eas producere, esto eas posset producere, si non repugnarent: ex quo vterius fit, vt in eo euentu non denominaretur omnipotens, cum omnipotentia haud dubiè sit vera, & realis potentia. Tertio; sicut Deo essentialiter esse dicitur, quod possit producere creaturas, si non repugnet, ita ei essentialiter esse debet, quod non possit eas producere, si repugnet: Deus igitur secundum se, & prædicata essentialia non est magis potens, quam non potens producere creaturas: igitur essentialiter non est omnipotens, siue productiuus omnium creaturarum, si absolute, & simpliciter loquendum est: cum posse, & non posse absolutum extra eius sint essentialia; & posse, & non posse conditionatum ei sint essentialia: quo pacto Deus secundum se, & prædicata essentialia præcisè sumptus nec producit, nec non producit creaturas, sed ab utroque præscindit: videlicet quia producere, & non producere absoluta ei veluti accidunt; & vtrumque solum aptitudinaliter, aut conditionatè vsurpatum ei necessarium est, atque inuitabile, ac iuxta aduersarios intrinsecum omnino. Quarto denique: si Deus in hypothesi nostræ disputationis denominaretur omnipotens, sanè de facto formica verbi gratia foret omnipotens. Sequela probatur, quia formica inest potestas conditionata omnia producendi, videlicet si sibi non repugnarent, vel si ipsa Deus esset: at ideo tum Deus denominaretur omnipotens, quia creaturarum omnium conditionatè productiuus esset: ergo, &c. Quare, sicut formica modo non est omnipotens, quia conditionem, sub qua omnia potest, purificari non postulat: ita in illo euentu Deus omnipotens non esset, quia non repugnantiam creaturarum, sub cuius conditione eas potest, purificari nequaquam exigit.

§ 2.

Secundò respondent alij, Deum, deficiente possibilitate creaturarum, mansurum, & denominatum iri omnipotentem, quia chimæras conditionatè posset producere, nimirum si non repugnarent. Hæc solutio nonnullis videtur diuersa à præcedenti, eo quod repugnantibus creaturis illa creaturas posibles omnipotentia terminum præstituatur, hæc chimæras. Cæterum ambæ manifestè coincidunt: quia repugnantibus creaturis creaturæ nequeunt esse posibles, ac proinde impossibiles esse debent, atque chimæricæ: igitur in eo euentu idem erit, posse producere creaturas posibles, si posibles sint, ac posse producere chimæras, si sint posibles: igitur in eo euentu idem est, Deum dici omnipotentem, quia producere potest creaturas posibles conditionatè, quod prior solutio continet, ac eum omnipotentem dici, quia chimæras potest conditionatè producere, quod continet solutio posterior: quare omnia, quæ contra priorem nuper obieci, directè etiam contra posteriorem militant. Rursus, sige eas aliquantulum inter se dissidere: certè ita in-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

ter se collidunt, & affines sunt; vt quæ primam oppugnant, facili negotio possint contrascundam expediri. Etenim vt rationes superiores iterum attingamus in transcurso; si omnipotentia Dei essentialiter est potens producere chimæram, si hæc non repugnet, fieri sanè non poterit, quin huiusmodi non repugnantia, quam conditionatè respicit omnipotentia, sit in ipsa cognoscibilis: quod in plurimum aduersariorum principiis sufficit ad ordinem transcendentalem alterius ad alteram. Mox, si reeugnantibus creaturis maneret adhuc in Deo vera, & realis potentia, eo quod chimæram, si non repugnaret, producere in eo euentu posset; quidni & modo verè, & realiter potens, mentiri dicatur, quandoquidem modo mentiri posset, si mendacium esset honestum, aut in eius veracitatem conueniret? Deinde, sicut Deo essentialiter est, quod chimæras possit producere, si non repugnet, ita ei essentialiter est, quod creaturas non possit producere, si repugnet: quomodo igitur Deo magis essentialiter esse potest, quod sit absolute potens, siue omnipotens, quam quod denominetur non potens. Denique fieret, formicam de facto infinita potentia, ac virtutis esse: innumeras enim chimæras producere posset, si sibi non repugnarent.

§ 3.

Reiectis ergo superioribus solutionibus respondendum est, omnipotentiam bifariam accipi posse: videlicet quoad perfectionem, atque entitatem omnipotentia: & sic nihil aliud est, quam infinita quædam perfectio Dei absoluta ab omni respectu ad aliud: aut quoad denominationem omnipotentia, quam P. Vasquez supra citatus respectum rationis de more aliarum denominationum extrinsecus aduenientium nuncupat: & sic vltra entitatem absolutam Dei importat in obliquo, & velut constitutio minus principali possibilitatem rerum creaturarum. Igitur omnipotentia quoad denominationem Deo partim intrinsecam, partim extrinsecam à creaturis possibiliibus absoluta non est, sed potius cum iis per identitatem inadæquatam connectitur: secus verò quoad entitatem, & perfectionem: quapropter quod omnes profiteri tenemur, Deum mansurum omnipotentem, si creaturarum possibilitas interiret, non ita intelligendum est, vt denominatio, seu relatio omnipotentis maneret, sed solum tota entitas, ac perfectio eius denominationis, aut relationis.

§ 4.

Nec verò mirandum est, omnipotentiam quoad denominationem Deo minimè essentialiter à nobis dici: siquidem denominatio omnipotentis, & relatio ad extra coincidunt: at antiqui omnes, & grauiores nostræ sententiæ patroni tuerentur, nullam relationem ad extra Deo esse posse essentialiter. Deinde non inconuenit, denominationem scientis aliquid ad extra Deo deficere, vbi tota entitas, & perfectio eius denominationis Deo maneat: ergo non inconueniet, denominationem omnipotentis præcisè quatenus talem Deo deperire posse, vbi tota entitas, & perfectio eius denominationis ei salua sit.

O

præsertim

praesertim cum prior denominatio ei intrinseca sit iuxta plerisque aduersarios, posterior verò extrinseca: & prior de facto ei deficiat, posterior verò solum per impossibile. Ad extremum adice, Deum repugnantibus creaturis futurum omnipotentem non solum quoad entitatem, seu perfectionem, verum etiam quoad denominationem, si forte vera est eorum lententia, qui putant, attributum omnipotentiae complecti formalissimè præter potentiam operandi ad extra, virtutem etiam generandi, & spirandi ad intra: qui autem Theologi ita sentiant, relati sunt à nobis supra capite § argum. §. ad finem.

§§. Argumentantur quartò aduersarij: si repugnaret ignis verbi gratia, ei duo contradictoria conuenirent: perinde enim est aliquid repugnare, ac ei duo contradictoria conuenire: at si igni duo contradictoria conuenirent, Deus repugnaret: ergo repugnante igne, eiusue possibilitate deficiente deficeret Deus, essetque repugnans. Maior vnà proposita est, atque probata. Minor suadetur: ac demus ea prædicata contradictoria esse hæc, ignem esse possibilem, & impossibilem: qualiacunque enim assignentur, idem argumentum confici potest. Tum sic: si ignis esset possibilis, & impossibilis, Deus coëxisteret possibilitati ignis, vt compertum est; & non coëxisteret eius possibilitati; siquidem coëxisteret eius impossibilitati: idem verò est coëxistere impossibilitati alius, ac non coëxistere eius possibilitati: igitur si igni duo contradictoria conuenirent, Deo etiam duo contradictoria conuenirent: ac per consequens Deus repugnaret, quæ erat minor probanda. Nec satisfaciet qui respondeat, eiusmodi prædicata contradictoria esse extrinseca, atque adeo non in ipso Deo, sed in igne intrinsecam repugnantiam arguere; quia homo, qui simul possit cognosci, & non cognosci quoad eandem formalitatem, quiue penes eandem etiam reliquis hominibus sit simul similis, & non similis, æqualis, & non æqualis, propinquus, & non propinquus eo ipso de facto intrinsece, & essentialiter repugnat, ac prorsus impossibilis est, atque chimericus: sed ea prædicata contradictoria ei conuenientia sunt, aut potius essent extrinseca: quamuis ergo repugnante igne prædicata contradictoria extrinseca Deo conuenirent, adhuc Deus intrinsecè, & essentialiter repugnaret.

§§. Hoc argumentum id habet vitij, quod aut nihil, aut certè hoc probet, quamlibet entitatem creatam, aut creabilem connecti immediate cum quauis alia quantumuis disparata, quauisque repugnante repugnaturam. Consequens autem, esto ab aliquibus admittatur aduersariis, absurdum est, & à P. Ripalda tom. 1. de ente supernat. libro 2. disputatione 32. sect. 8. numero 42. ridiculum pronuntiatur. Sequela verò in aperto est: siquidem relatio illa coëxistentiæ, ex qua arguunt aduersarij, locum habet in quibuscunque rebus quantumlibet disparatis. Absolute respondeo, prædicata contradictoria extrinseca in aliquibus intrinsecis semper fundari: verbi gratia animal, quæ tale cognosci, & non cognosci fundatur super hoc, quod est, cognitionem

animalis esse, & non esse: cum ergo prædicata contradictoria intrinseca nulli defacto conuenire possint re ipsa, & absque intellectus fictione; sanè contradictoria extrinseca nulli conuenire poterunt: at in eo euentu impossibili, quo creaturæ repugnarent, prædicata contradictoria intrinseca creaturis conuenirent re ipsa, & absque intellectus fictione: mirandum ergo non est, quod in eo euentu Deo conuenirent prædicata contradictoria extrinseca verè, & re ipsa. Porro ad instantiam superius positam contra hanc responsionem dicendum est, hominem quoad eandem formalitatem simul cognitum, & incognitum, similem, & non similem, &c. intrinsecè repugnare, si ad eiusmodi prædicata contradictoria extrinseca essentialiter habeat aptitudinem, aut cum iis essentialiter connectatur, ex illiusque existentia per necessariam sequelam rectè possit inferri saltem eorum possibilitas. Cæterum Deus in eo euentu, de quo est disputatio, ad eiusmodi prædicata contradictoria extrinseca essentialiter aptitudinem non haberet, nec cum iis essentialiter connecteretur: cum enim Deo respectu vnus partis contradictionis, nimirum relationis coëxistentiæ ad possibilitatem creaturarum nulla aptitudo, aut connexio essentialis sit, multo minus respectu amborum simul sumptarum ei esse poterit essentialis: non est ergo, cur Deus tum intrinsece deberet repugnare. Quod si sermo sit de homine simul, & quoad eandem formalitatem cognito, & incognito, simili, & non simili, &c. absque vlla tamè aptitudine essentiali, aut relatione transcendentali ad eiusmodi prædicata contradictoria extrinseca; sanè ex eo, quod hæc ei de facto conuenirent, non sequeretur, cum intrinsecè repugnare; omnisque repugnantia intrinseca se tum haberet non ex parte hominis, sed ex parte ipsorum prædicatarum, vt intuenti constabit: quo circa & de Deo idem dicendum esset casu, quo ei conuenirent prædicata contradictoria extrinseca, absque vlla cum iis connexione essentiali, aut ordine transcendenti.

Argumentantur quinto: Deus connectitur essentialiter cum possibilitate, vel impossibilitate creaturarum vagè, & indeterminatè sumpta: est igitur connexus essentialiter cum aliquo à se distincto, cum tamen, vt patet, à nullo à se distincto possit dependere; poterit ergo etiam cum possibilitate creaturarum determinatè sumpta sine independentiæ, aut alterius perfectionis suæ præiudicio essentialiter connecti, atque ad eam transcendentaliter referri. Hæc postrema consequentia videtur perspicua. Prima consequentia probatur: quia quoties vtrumque collectionis extremum distinguitur ab aliquo, ipsamet collectio nequit ab eo non distingui: sed huius collectionis vagæ, possibilitatis, vel impossibilitatis creaturarum, quæuis pars distinguitur à Deo, vt concessum est à nobis supra: ergo & ipsa collectio vaga: ex eo igitur quod Deus connectatur cum possibilitate, vel impossibilitate creaturarum rectè sequitur, eum esse connexum cum aliquo à se distincto, quæ erat prima consequentia à nobis probanda. Probatur ergo antecedens

cedens argumenti. Primò; quia nec depotentia absoluta potest Deus existere, quin creaturæ vel sint possibiles, vel impossibiles: connectitur ergo essentialiter cum possibilitate, vel impossibilitate creaturarum. Secundo; ideo Deus non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum, quia si esset sine creaturis possibilibus, creaturæ eo existente essent impossibiles: idè item non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum, aut etiam chimærarum; quia casu, quo hæc non essent impossibiles eo existente, essent sane è contrario possibiles. At si Deus esset sine possibilitate, aut impossibilitate creaturarum, nihil esset, quod tum essent creaturæ: haud enim forent possibiles, haud etiam impossibiles. Connectitur ergo essentialiter cum possibilitate, aut impossibilitate creaturarum, & sine alterutra per se ipsum non esse petit: saltem enim eius connexionem, & exigentiam id tantum potest tollere, quod supersit aliquid, in quod desineret illa collectio vaga, si sine ea Deus esset: nihil autem tale superest, ut manet ostensum.

58.

Respondeo primò, non defuturos, qui postremam consequentiam argumenti, quæ supponitur esse perspicua, & manifesta, falsam tamen esse censent, eamque negent. Sicut enim nequit Deus absque imperfectione maxima, independentiæque suæ dispendio esse connexus essentialiter cum existentia creaturæ determinatè sumpta; & tamen iuxta aduersarios eam habet connexionem essentialem cum existentia creaturæ, vel eius carentia: nec ex hac posteriori connexionem essentiali vaga rectè colligi potest illa prior connexio determinata: ita similiter quamuis concedatur, aut permittatur connexio Dei essentialis cum aliquo indeterminato à se distincto, possibilitate nimirum, aut impossibilitate creaturarum; nihilominus hinc fortè haud poterit rectè inferri, aut colligi, quod sit connexus essentialiter cum possibilitate creaturarum determinatè sumpta. Respondeo secundo, antecedens principale argumenti esse falsum. Antecedens autem, quo probatur, distinguendum est ita: non potest vllatenus Deus esse sine possibilitate, vel impossibilitate creaturarum, impotentia antecedenti, & intrinsecè nata ex ipsomet Deo; nego antecedens; impossibilitate consequenti, & extrinseca, ortumque ducente ex ipsamet creaturarum possibilitate, vel impossibilitate, quæ vagè sumptæ non possunt vllatenus non esse, concedo antecedens: ergo Deus connectitur essentialiter cum ea collectione vaga, nego consequentiam. Et quidem uti in nostris principiis Deus non connectitur essentialiter cum possibilitate creaturarum determinatè sumpta, tametsi sine ea diuinitus esse non possit; videlicet, quia talis impotentia est consequens, non antecedens; ita similiter in præsentia, &c. Posterior etiam principalis argumenti probatio non magis virget; eiusque minor propositio est falsa: esset siquidem, quod essent creaturæ casu, quo sine earum possibilitate, aut impossibilitate existeret Deus: tum enim essent nec possibiles, nec impossibiles.

59.

Dices, hoc principium: *quodlibet est, vel non est, summè verum, ac necessarium est*: ergo in euentu, de quo sermo, creaturæ essent vel
R. P. Lyncei *Philosophia* Tom. II:

possibiles, vel impossibiles: ergo non essent, ut diximus, nec possibiles, nec impossibiles. Frituola instantia: namque ad summam veritatem, ac necessitatem eius principij satis est, quod in omni euentu possibili sit verum; non verò requiritur, quod in euentu omni, & chimærico, & impossibili sit verum. Euentus autem ille, quo Deus esset sine possibilitate, & impossibilitate creaturarum, est omnino impossibilis, & chimæricus: quod ergo tale principium sit in eo falsum, & creaturæ sint nec possibiles, nec impossibiles, nihil eius summæ veritati, ac necessitati derogat. Confirmatur: si deficiente impossibilitate chimærarum maneret Deus, esset quod tunc esset chimæra, ut permittunt aduersarij, quia nimirum tum forent possibiles: atqui hoc principium impossibile est, *idem simul esse, & non esse* quantumvis summè verum, & necessarium, tum nihilominus falsum esset; chimæra siquidem omnis inuoluit idem simul esse, & non esse, duoque contradictoria importat: esse ergo possibilem tum chimæram est possibile esse, quod idem sit simul, & non sit; adeoque principium hanc possibilitatem negans esse falsum, & non verum. Similiter ergo quod in euentu illo chimærico, & impossibili, quod si daretur, tuemur Deum extitutum nihilominus, atque etiam futurum, quod tum essent creaturæ nec possibiles nec impossibiles, quod inquam in tali euentu falsum esset illud principium: *quodlibet est, vel non est*, nihil eius essentiali, ac summæ veritati detrahit.

Dices iterum: creaturas nec esse possibile, nec impossibiles est quidem omnino impossibile: Deum ergo dari sine possibilitate, & impossibilitate creaturarum est eum dari simul cum impossibilitate aliqua à se distincta, & non sine illa: non ergo defendimus, Deum datum iri casu, quo nulla daretur impossibilitas à se distincta determinatè, aut indeterminatè sumpta: aliqua siquidem daretur in euentu, quo dicimus, Deum extitutum omni impossibilitate, & etiam possibilitate deficiente; nimirum hoc ipsum, quod est, possibilitatem, & impossibilitatem omnem deficere, & nec vnā, nec alteram dari. Respondeo creaturas esse nec possibiles, nec impossibiles, esse quidem modo quid impossibile: at tum & in eo euentu, qui magis supponitur à nobis, quàm dabilis est, id futurum possibile; & si possibile esset, Deum propterea non defuturum, sed potius extitutum; quippe ad quem non magis pertinet essentialiter, quod sint possibiles, vel impos-

sibiles, quàm quod Turca ludat,
vel saltet; existatue, seu
redigatur in nihilum.
* *

60.